Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8138
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Maius

primo Eufrosinam et Theodoram. deinde alios ad
fidem xpi convertit. Novissime cursum martirii sui cum prefatis
virginibus consummavit. sub persecutione trayani. ubi mo
rabantur clause in carcerem. In facies enim suas pro
strate orantes dominum recesserunt. Quarum corpora sanctus
Cesareus diaconus in sarcophago simul condens in
profundo terre sepeliuit. Huius domicille mater fuit
sancta plantilla. que sancto paulo velum sui capitis in sua
passione concessit quod ei reddidit decollatus. In Ni
comedia passio sanctorum martirum Flavii. Augusti. et
Augustini fratrum. Rome. Benedicti pontificis. qui
sedit in epatu unum mensem. Imperante Constantino.
apud beatum petrum sepultus

B i. Mediolano. s. Victoris martiris. qui natione maurus 128
et a primeva etate xpianus. cum esset in castris imperialibus
miles et canicie decoratus. compellente maximiano
ut sacrificaret ydolis. in confessione domini fortissime perse
verans primo gravius est cesus. Deinde liquenti plumbo
perfusus sed nichil lesus. novissime gloriosi martirii capitis
abscisione cursum complevit. Quod sanctus martinus episcopus
audiens factum collegit corpus eius. et in predicta civitate
cum honore sepeliuit. Vienne. s. Dionisii. vi. urbis
episcopi. Apparicio angeli. dicitur hoc festum illo die. Dum
enim sanctus Gregorius propter pestem Ingwinariam letanias
maiores instituisset. et devote hiis diebus deum pro
salute populi exorasset. vidit hac die in terrei castri. quod
olim memoria Adriani appellabatur. angelum qui gla
dium tergens. et in vaginam mittens preces exauditas
innuebat. Unde sanctus papa Gregorius ecclesiam mihi. in
honore sanctorum angelorum instituit. Iamque nunc castrum
sancti angeli vocatur. Et ab illo die hec dies celebris
rome habetur.